

CAPITA DOCTRINAE CHRISTIANAE

compendio tradita, ut sit ueluti paruus

Catechismus Catholicorum

corum

*(anctorum. Nicae  
Constantino Polyc  
li.)*

CAPVT PRIMVM.

DE FIDE ET SYMBOLO FIDEI.

Quis dicendus est Christianus atq;  
Catholicus ?



VI Baptismatis Sacra' Act 12.

mento initiatus, IESV Christi veri Dei atq; hominis salutarem doctrinam in eius Ecclesia profiteretur: neq; sectis vel

opinionibus vllis ab Ecclesia Catholica alienis adhaeret.

Quibus de rebus primum docendi

6.

De F  
menti

# INSTITVTIONES

*Quid est Fides?*

Donum Dei ac lumen, quo illustratus homo firmiter assentitur omnibus quæ Deus reuelauit, & nobis  
Ephc. 2. per Ecclesiam credenda proposuit: si  
Heb. 11. ue scripta illa sint, siue non sint.

*Quæ summa est fidei seu omnium  
credendorum?*

Symbolum Apostolorum, in duo  
decim distinctum articulos.

*Qui sunt isti duodecim Articuli?*

Hi videlicet.

- I. Credo in Deum patrem omnipo-  
tentem, Creatorem cæli & terræ.
- II. Et in IESVM Christum filium  
eius vnicum, Dominum nostrum.
- III. Qui conceptus est de Spiritu san-  
cto, natus ex MARIA virgine.
- IIII. Passus sub Pontio Pilato, cruci-  
fixus, mortuus, & sepultus.
- V. Descendit ad inferos, tertia die

et ad de-  
ntis-  
vivos  
Credo



PIETATIS.

Credo in Spiritum sanctum.	VIII.
Sanctam Ecclesiam Catholicam, San-	IX.
ctorum communionem.	
Remissionem peccatorum.	X.
Carnis resurrectionem.	XI.
Et Vitam æternam, AMEN.	XII.

*Quid sibi uult primus Symboli articulus,  
Credo in Deum Patrem?*

Ostendit primam in Deitate per-  
sonam, Patrem scilicet cœlestem & æ-  
ternum, cui nihil factu impossibile sit  
vel difficile, qui cœlum & terram, vi-  
sibilia simul & inuisibilia cuncta ex ni-  
hilo produxerit, & producta usq; con-  
seruat, & gubernat summa bonitate  
& sapientia.

Gen: 1.

Psi: 148

Ioh: 5.

*Quid uerò secundus Articulus,*

*Et in Iesum Christum filium eius?*

Commonstrat secundam in Dei-  
tate personam, Iesum Christum scili-  
cet filium Dei naturalem, Vnicum il-  
lum, ab æterno genitum, & Patti con-  
substantialem, Dominum ac redem-  
ptorem nostrum, Vt qui nos perditos  
liberauit.

Mat: 16

Colo: 1.

Heb: 1.

Psal: 2.

101.

Luc: 1.

Quid Act: 10



INSTITVTIONES

*Quid porro tertius,*

*Qui conceptus est de Spiritu sancto?*

Mysterium proponit Dominicae incarnationis. Quia idem Dei filius de caelis descendens, humanam naturam assumpsit: sed modo singulari prorsus, vt qui conceptus fuit sine Patre, ex virtute Spiritus sancti, & natus ex Maria virgine illibata.

*Quid uerò quartus,*

*Passus sub Pontio Pilato?*

Mysterium tractat redemptionis humanae: nam idem verus Dei filius secundum humanam illam naturam assumptam, extrema verè passus est pro nobis & peccatoribus omnibus redimendis. Vnde licet agnus esset sine macula, tamen sub Pontio Praefide in crucem suffixus, in cruce mortuus, & deinde sepultus fuit.

*Quid autem quintus,*

*Descendit ad inferos?*

Mysterium resurrectionis Christi complectitur, qui secundum animam quidem Patres è limbo liberatus descendit: tertio verò post mortem die,

## PIETATIS.

die, resumpto corpore, vi propria factus est rediuuus.

*Quid sextus articulus,*

Mat: 16

*Ascendit ad cælos?*

Luc: 24

Mysterium affert gloriosæ ascensionis Christi, ut qui post expletum redemptionis nostræ opus, ad Patrem transiit ex hoc mundo, & cælos sua virtute Triumphator ascendit, atq; in ipsa æterna Patris gloria super omnia est collocatus.

*Quid septimus.*

*Inde uenturus est iudicare?*

Mat: 16

Demonstrat extremum iudicij diem, quando Christus humana in carne visibilis rursus de cælo descendet ac tremendum agæt iudicem omnium proborum, ac improborum, & reddet unicuiq; secundum opera eius.

25.

1. Thes.

4.

Psal: 16

Mat. 16

Rom: 2

*Quid uero octauus,*

*Credo in Spiritum sanctum?*

Exhibet tertiam in Trinitate personam Spiritum sanctum, qui ex Patre Filioq; procedens, vnus vnus æternusq; Deus est, & regnat cum Patre & Filio, & proinde cum utroq; simul adoratur & conglorificatur.

Ioh: 7.

Athanas.

in

Symbz.



INSTITVTIONES

Quid nonus articulus,  
Sanctam Ecclesiam Catholicam?

De Ecclesia docet quatuor nobis

- I esse credenda: Primùm, Ecclesiam esse  
*Can: 4.* vnam, nimirum in vno spiritu Chri-  
*Ephe: 4* sti Iesu, in vna fide, fideiꝝ & sacramen-  
 torum doctrina, in vno capite ac re-  
 ctore Vniuersalis Ecclesiæ, Vicario  
 Christi scilicet ac diui Petri successo-  
 re. Secundò, hanc ipsam sanctam esse,  
*Ephe: 6* quia tum à Christo capite & sponso  
*1. Co: 6* suo, cui per fidem & Sacramenta con-  
*Io: 14.* iungitur, sanctificatur: tum à Spiritu  
*16.* sancto perpetuò gubernatur. Tertiò,  
 III. eandem esse Catholicam seu vniuer-  
*Ma: 28* salem, quia toto orbe diffusa, Christi  
*Marci* fideles omnes omnium temporum  
*16.* comprehendit. Quartò & postremo  
 IIII. in hac ipsa Ecclesia communionem  
*Luc: 24* esse Sanctorum, puta non eorum so-  
*Acto: 1.* lum, qui in terris credentes peregrin-  
*Ephe: 4* nantur, verum etiam qui carnis mor-  
*Pf: 118.* talitate exuti vel regnant in cœlo, vel  
 illic regnaturi, in igne purgatorio  
 suorum peccatorum sordibus expi-  
 antur.

PIETATIS.

antur. Qui quidem veluti vnuscorum Ro: 12.  
poris membra se inuicem iuuant mu 1. cor: 12  
tuis officijs, meritis, orationibus, &  
sacro sancti Missæ sacrificij, Sacramen-  
torumq; Ecclesiæ virtute participant.

*Quid porro decimus,  
Remissionem peccatorum est*

Offert præsentem Dei gratiam pec- Lu: 24.  
catoribus omnibus, ne quis de ve- Eze: 12  
nia peccatorum suorum consequen-  
da vnquam desperet, modò in Eccle-  
sia perseueret Catholica, & ritè eius- Io: 20  
dem Sacramentis vtatur. Act: 2.

*Quid autem undecimus,  
Carnis resurrectionem est*

Mortuos omnes ad uitam excitant Iob: 19.  
dos asserit, & nouissimum iudicij di- 1. co: 15  
em confirmat: nam ante Christi tri- Ioan: 5.  
bunal in carne rediuiui omnes appa- Da: 12  
rebimus, vt recipiat vnusquisq; pro- Ma: 25  
ut gessit in suo corpore, siue bonum, 2. Co: 5  
siue malum.

*Quid demum postremus,  
Et uitam æternam est*

INSTITVTIONES

Mat: 25 Fidei & virtutis Christianæ præmi-  
 Mat: 27 um beatam immortalitatem ostendit, vt certò sciamus, post hanc vitam  
 Eccl: 19. & 19. superesse aliam longè diuersam, ve-  
 Heb: 5. reque securam, beatam ac sempiter-  
 nam, quæ credentibus & obtempe-  
 rantibus Christo destinata sit.

*Quæ est summa omnium symboli articuloꝝ?*

Corde & ore confiteor Dominum  
 Deum, quo nihil aut maius, aut sapi-  
 entius, aut melius potest excogitari,  
 I, Ios: 5 eum & vnum in essentia seu natura  
 diuina, & trinum in personis esse, vt  
 pote Patrem, & Filium, & Spiritum  
 sanctum: ita vt hi tres vnum sint, v-  
 nus, verus, æternus, inmensus & in com-  
 prehensibilis Deus, ex quo, per quem  
 Ro: 18. & in quo sunt omnia. Pater est condi-  
 tor vniuersorum: Filius redemptor  
 hominum: Spiritus sanctus Ecclesiæ  
 seu Christi fidelium sanctificator &  
 rector. Igitur huic sanctissimæ & indi-  
 uiduæ Trinitati respondent Symbo-  
 li tres partes præcipuæ: prima, quæ de  
 creatione est, Patri: secunda, quæ de  
 redemp-



PIETATIS.

redemptione, Filio: tertia, quæ de sanctificatione, Spiritu sancto accommodatur.

*Quid est Ecclesia?*

Est omnium Christi fidem atq; doctrinam profitentium congregatio, quæ sub vno & summo post Christum capite & pastore in terris gubernatur.

I. cor. 12

I. Pet. 5

10. 1: 21.

Mat: 16

Concil.

Florent.

*Qui ab Ecclesia prorsus alieni sunt?*

Primum iudæi & infideles omnes atq; à fide apostatæ, deinde hæretici, ñ scilicet, qui cum baptizati sint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuentur errorem. Præterea Schismatici, qui à pace & unitate Catholica ipsi se segregant. Postremò qui à communione Sanctorum, à participatione Sacramentorû, & ab Ecclesiæ iussibus, diuinisq; officiis per ecclesiasticam potestatem legitimè excluduntur: unde excommunicati dicuntur: Qui omnes à Christi corpore, quod est Ecclesia, sciuncti & alieni sunt, proindeq; spiritualis vitæ ac salutis expertes manent.

Mat: 18

I. cor: 5

INSTITVTIONES

manent, Sathanæ mortique perpetuæ, nisi rescipiscant obnoxii. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis, sed in primis hæretici & schismatici, non minus quàm pestes quædam exitialiales, fugiendi ac execrandi sunt.

*Quæ demum est simplex, breuis & recta  
fidei regula, qua Catholici ab hæreticis  
discernuntur?*

Ea est, Christi fidei atque Ecclesiæ authoritatem integram profiteri illudque ratum ac fixum tenere oportere, quod ecclesiæ Catholicæ pastores atque doctores credendum definiunt. Caterum si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus ipse, sicut ethnicus & publicanus. Non enim habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.

CAPVT SECVNDVM  
DE SPE ET ORATIONE DOMINICA.

*Quid est Spes?*

Rom: 5  
& 8.  
Pet: 1. & æternæ vitæ dona expectantur.

**V**irtus est diuinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis

vnde

PIETATIS.

Vnde modum rectè sperandi & peten-  
di discimus?

Ex oratione dominica, quam Chri-  
stus ipse Dominus & Magister noster Mat: 16  
ore suo sacrosancto tradidit & præ- Luc: 21  
scripsit.

*Recita per partes orationem Dominicam.*

*Prima petito.*

Pater noster qui es in Cœlis, San-  
ctificetur nomen tuum,

*Secunda.*

Adueniat regnum tuum.

*Tertia.*

Fiat voluntas tua sicut in Cœlo &  
in terra.

*Quarta.*

Panem nostrum quotidianum da  
nobis hodie.

*Quinta.*

Et dimitte nobis debita nostra, si-  
cut & nos dimittimus debitoribus  
nostris.

*Sexta.*

Et ne nos inducas in tentationem.

*Septima.*

INSTITVTIONES

Septima.

Sed libera nos à malo, Amen.

Quid sibi uult initium huius orationis,  
Pater noster qui es  
in cælis?

Rom: 8  
Gal: 4  
Ephr: 1  
Præfati uincula est, quæ nos memores  
reddit summi beneficii, quo Deus Pa-  
ter per Christum nos sibi in filios ado-  
ptiuos & hæredes cooptauit. Atque  
hoc dulci Patris nomine prouocamus  
cum ad redamandum tui ad precan-  
dum magna cum fiducia.

Quid explicat prima petitio,

Sanctificetur nomen tuum.

Proborum filiorum iustum & liber-  
rale desiderium, hi petunt semper &  
vbique in se alijsque promoueri cog-  
nitionem, timorem, honorem, amo-  
rem, & cultum æternæ maiestatis, &  
quicquid demum ad summi optimiq;  
Patris gloriam spectat.

Quid secunda petitione agimus,  
Adueniat regnum tuum?

Petrus

BCU Cluj / Central University Library Cluj



BCU Cluj / Central University Library Cluj

PIETATIS.

cessaria. Hæc summam continentur  
prioribus quatuor.

*Quæ summa est reliquarum  
petitionum?*

Tres posteriores continent mala,  
quæ deprecari debeamus: ut sunt pec-  
cata, quæ nobis Dei regnum præclu-  
dunt, tum tentationes, quæ, nisi ope  
diuinæ protegatur, sua vi ad peccan-  
dum nos pertrahunt: ac postremo hu-  
ius ac futuræ vitæ calamitates. Do-  
cet igitur Dominica præcatio simul &  
bona petere, & mala deprecari.

*Quomodo salutationem Angelicam*

*recitat Vigni Matri?* University Library Cluj

Aue Maria gratia plena, Dominus Luc. 1.  
tecum, benedicta tu in mulieribus, &  
benedictus fructus ventris tui Iesus.  
sancta Maria mater Dei ora pro nobis  
peccatoribus, nunc & in hora mor-  
tis nostræ, Amen.

*Vnde hic motus Deiparam uirginem  
salutandi profluxit?*

Primum ab exemplo Angeli Gas-  
brielis, & sanctæ Elizabethæ, deinde  
ex usu ipso, & consensu Ecclesiæ Ca-  
tholicæ.

B

Quem

INSTITVTIONES

*Quem uerò fructum adfert hæc saluatio?*

Sacrofanctæ Virginis & Domini  
 cæ incarnationis gratam, & æquẽ salu-  
 lutarem nobis reficit memoriam, &  
 præterea monet, vt gratiosæ Virg-  
 nis fauorem, atq; apud Deum inter-  
 celsionem nobis conciliemus.

*Quid discimus ex hac saluatione?*

Eximias dotes ac laudes incom-  
 parabilis virginis, vt quòd Dei donis  
 virtutibus amplissimis referta, quòd  
 eadem virgo & mater, quòd inter o-  
 mnes omnium temporum muliere  
 benedicta, quòd Regis Regum Chri-  
 sti & Domini nostri parens, ac perit-  
 de inuentrix gratiæ, ac genitrix vitæ  
 nobis extitit.

CAPVT TERTIVM.

DE CHARITATE, ET  
 DECALOGO.

*Quid est Charitas?*

Mat. 22. **I**nfusa à Deo virtus, qua Deus pro  
 Luc. 10. pter se diligitur, proximus autem  
 propter Deum,

PIETATIS.

*Quot sunt Charitatis præcepta?*

Duo principalia, Diliges Domini Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex totis viribus tuis. Hoc est primū & maximum mandatum, secundum verò simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his præceptis vniuersa lex pendet, & Prophetæ.

Deut: 6

Mat: 22

*Quo iudicio se prodit Charitas erga Deum?*

Si eius obserues mandata Hæc est enim Charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius graua non sunt. Et Christus ipse docet: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.

I. Ios: 9

*Quomodo se prodit & agnoscitur Charitas erga proximum?*

104. 14.

Charitas patiens est, benigna est, Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irascitur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem Veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet

I. cor: 13

Phil. 3.

INSTITVTIONES  
Cur præcepta Decalogi decem  
proponuntur

Et si duo sunt charitatis præcepta,  
in quibus plenitudo legis versatur  
tamen præcepta Decalogi idcirco ad  
ijciuntur, vt perspicuè magis omnes  
intelligant, quæ ad Charitatem tum  
Deo, tum proximo exhibendam per-  
tinent.

*Quæ sunt præcepta Decalogi?*

I. Ego sum Dominus Deus tuus. Non  
habebis Deos alienos coram me: non  
facies tibi sculprile, vt adores illud.

II. Non assumes nomen Domini  
Dei tui in Vanum: Nec enim inson-  
tem habebit Dominus eum, qui as-  
sumpserit nomen Domini Dei sui fru-  
stra.

III. Memento vt diem sabbati san-  
ctifices.

III. Honora patrem tuum & ma-  
trem tuam, vt sis longæuus super ter-  
ram, quam Dominus Deus tuus da-  
bit tibi.

V. Non occides.

VI. Non mæchaberis.

VII.



VII. Non furtum facies.

VIII. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

IX. Non concupisces uxorem proximi tui.

X. Non domum, non agrum, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum & vniuersa, quæ illius sunt.

*Quid sibi uult primum præceptum,  
Non habebis Deos alienos?*

Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum falsorum Deorum, artem magicam vel diuinatoriam, obseruationes superstitiosas, omnem deniq; cultum impium: E diuerso autem requirit, vt vnum Deum Opt: Max: credamus, colamus, & inuocemus.

Exo: 23

Deu: 18

E 19.

Ecd: 34

*Licetne Sanctos colere & inuocare?*

Licet, non ad eum quidem modum, quo iubemur Deum colere & inuocare tanquam creatorem & redemptorem, & largitorem bonorum omnium: at longè inferiore gradu, nimitù veluti dilectissimos Dei ami-

Damasc

lib. 4. c.

16.

Iob: 15.

INSTITVTIONES

eos, nostrosq; apud ipsum intercessores, & patronos.

*Huius præcepto aduersatur usus imazinum*

*Christi ac Sanctorum*

*Damasce lib. 4.* Nequaquam: quia præcepto huic, Non facies tibi sculptile, causa mox additur, vt adores illud, videlicet ethnicorum more, qui falsorum Deorum statuunt simulachra, & idola sua impie colunt. Nos autem in imaginibus Christum & Sanctos quos representant, pio à maioribus tradito more veneramus.

*Nicen.* Quid secundum prohibet, Non assumes nomen

*Dei tui in uanum*

*Leu. 9.* Vetat abusum diuini nominis & irreuerentiam, quæ committitur à peccatoribus, blasphemis, per Deum, Sanctos vel creaturam aliquam, absq; graui causa, veritate ac reuerentia iurantibus.

*Quid imperat tertium præceptum,*

*Memento ut diem Sabbati sanctifices?*

*Leu. 23.* Vult Sabbatum, seu diem festum in Ecclesia pijs operibus celebrari: quod fit ad eundo templum, & audiendo missam. Laborare autem hoc tempore, & occupationibus deditum esse seruilibus, planè interdicit. *Quid*

PIETATIS.

*Quid iniungit quartum,*

*Honora Patrem & Matrem?*

Vt qui secundum Deum vitæ no-  
stra sunt auctores, reuerentiam, obe-  
dientiam opemq; præstemus, ac o-  
mni demum officij genere illis ipsis  
satisficiamus. Deinde iubet, vt ma-  
gistratus cum ciuiles, tum Ecclesiasti-  
cos, parentum & maiorum loco ha-  
beamus, illorum dicto lubentes pa-  
reamus, & reuereamur potestatem,  
atq; auctoritatem.

Eph: 6

Colo: 1.

Ro: 13.

Heb: 13

1. Pet: 2

*Qua ratione potestatem & auctoritatem*

*Ecclesiasticam reuerebimur?*

Videlicet, si sacris œcumenicis Con-  
cilijs, si receptis Apostolorum ac pa-  
trum institutis ac decretis, si probat-  
is maiorum consuetudinibus, de-  
niq; si summis Ecclesiæ pastoribus ac  
pontificibus tribuetimus quam sin-  
gularem illis debemus obseruantiam  
obedientiamq;. Vbi vel maxime pec-  
cant, qui cultum diuinum & sanctio-  
nes, Cæremoniasq; Ecclesiasticas con-  
uellunt atq; contemerant: tum qui  
Synodis & Pontificibus obtreçant.

INSTITUTIONES

ac in sacerdotum iura & templa inuolant, sacra profanantes.

*Quid sibi uult quintum præceptum,*

*Non occides?*

*Math: 3* Prohibet Vim externam, cædem  
*Deut: 5* & iniuriam omnem, quæ corpori & vitæ proximi adferri possit. Ad hæc iram, odium, rancorem, indignationem, & quosuis affectus ad proximi læsionem quouis modo spectantes excludit & penitus resecat.

*Quid uetat Sextum, Non Mœchaberis?*

*1. Co: 6* Fornicationem, adulterium & ob  
*Math: 5* scænos illegitimosq; concubitus, tū  
*Eph: 5* quicquid honestati, verecundiæ &  
*2: the: 4* ingenuo pudori aduersatur. Nam &  
*Heb: 13* qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo.

*Quid præcepto septimo cauetur,*

*Non furtum facies?*

Omnis rei alienæ illicita contrectatio & usurpatio: ut fit in furto, rapina, usura, lucris iniustis, dolis malis, & iniquis contractibus, demùm quibusuis

PIETATIS.

bus suis commutationibus & distributionibus, quibus Christiana Charitas læditur, & proximus circumuenitur.

*Quid in octavo agitur, \**

*Non loqueris contra proximum falsum testimonium.*

Interdicitur testimonium falsum, Exo: 13 mendacium & omnis linguæ contra Eph: 4 proximum abusus: vt est in susurrionibus, detractoribus, maledicis, adulatoribus, mendacibus & periuris. Iaco: 4. I. Pet: 2

*Quid postrema duo præcepta, Non concupisces uxorem, nec rem proximi?*

Vetat concupiscentiam vxoris, ac rei alienæ: quoniam quod alienum est, haud solum iniuste & pro libidine nostra occupare non licet, sed ne voluntate quidem ad illud appetendum ferri debemus: ita vt nostris rebus contenti absq; omni inuidia, æmulatione & cupiditate viuamus. Matb: 5 Deu: 5. I. the: 4

*Que summa, quisue finis præceptorum Decalogi?*

B 5 Nimi



INSTITUTIONES

1. Ioh: 5.  
Exo: 20. Nimirum, ut Deus & proximus  
sincerè diligantur, cuius rei symbo-  
lum fuit in duas tabulas decalogi à  
Deo facta distinctio. In priore qui-  
dem tabula tria docentur, quæ ad Cha-  
ritatem Dei: in secunda verò septem,  
quæ ad dilectionem proximi spectant,  
explicantur.

*Quæ ratione præcepta primæ tabulæ Charitatem Dei edocent &*

Eph: 4. Quoniam tollunt & prohibent vitia  
cultui honorisq; Dei maximè contra-  
ria, idololatriam, apostasiam, hæresim,  
periurium, superstitiones: admonent  
autem verum purumque Dei cultum  
corde, ore ac opere fideliter exhiben-  
dum esse: quod ubi fit, utiq; solus verus  
Deus cultu latriæ colitur & adoratur.

*Quomodo præcepta secundæ tabulæ Charitatem proximi explicant.*

1. cor: 13.  
Tit: 2. Eo ipso, quod nostrum erga pro-  
ximum officium ordine complectun-  
tur: videlicet ut non solum maiores  
honoremus, sed etiam opere, verbis  
ac voluntate prodesse omnibus, &  
nocere nemini studeamus, siue cor-  
pus proximi, siue persona iuncta con-

13

INSTITVTIONES

iugio, siue bona fortunæ cōsiderētur.

*Quæ summa est præceptorū de proximo diligendo?*

Hæc ipsa nimirum, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Omnia verò Matth: 7  
quæcunq; vultis vt faciant vobis ho-  
mines, & vos facite illis. Hæc est enim  
Lex & Prophetæ.

*Suntne præter Decalogum alia præcepta?*

Sunt vtiq; non solum vtiliter illa, Matth: 18. et 23  
Verum etiam necessariò obseruanda: Prou: 1.  
præsertim Ecclesiæ præcepta, cui velu-  
ti sanctissimæ matri, sponsæq; Christi  
aures & mentes præbere Catholici  
filij omnes debemus.

*Quot sunt præcepta Ecclesiæ?*

*Præcipua quinque numerantur.*

I.

Statutos Ecclesiæ festos dies cele- Concil.  
Lugdun.  
brato. II.

Sacrum missæ officium diebus festis Concil.  
Agathen  
reuerenter audito.

III.

Indicta certis diebus ieiunia, & à qui Can. A.  
post. 68  
busdam cibis abstinentiã obseruato.

IIII.

Peccata tua sacerdoti proprio, aut Gangrē.  
Concil.  
alteri cum eius facultate, singulis an-  
nis confiteor.

V. Later.

INSTITVTIONES

V.

*Ibidem.* Sacrosanctam Eucharistiam, vt mi-  
nimum semel in anno, idq; circa festū  
Pasce, sumito.

*Quem fructum affert horum obseruatio  
præceptorum?*

*1. co: 14* Hæc atq; id genus alia Ecclesiæ tum  
instituta, tum præcepta primū fi-  
dem, humilitatem & obedientiam  
Christianam exercent: deinde cultum  
diuinum, honestam disciplinam &  
publicam tranquillitatem alunt, con-  
seruant & ornant, eoq; mirificè confe-  
runt, vt decenter & ordine cuncta in  
Ecclesia peragatur, præterquàm quòd  
æternam vitam meremur, si illa ex  
charitate obseruemus.

CAPVT QVARTVM.

DE SACRAMENTIS.

*Aug: lib  
3 de do:  
Christi.  
et Ca:  
tech:  
rud.*

*Quid est Sacramentum?*

**E**st inuisibilis gratiæ signum visi-  
bile ad nostram sanctificationem  
diuinitus institutum. Aliud est enim  
quod in Sacramento videmus, aliud  
quod

PIETATIS.

quod in eò accipimus: signum vide-  
 mus externum: occultam verò & spi-  
 ritualem gratiam, quæ res dicitur Sa-  
 cramenti, accipimus.

Amb: li.  
 4. de Sa-  
 cram.

*Quot sunt Sacramenta?*

Septem, quæ à Christo Domino  
 instituta, ab Apostolis tradita, & in  
 Ecclesia Catholica semper conserua-  
 ta ad nos vsq; peruenerunt. Sunt au-  
 tem hæc, Baptismus, Confirmatio, Eu-  
 charistia, Pœnitentia, Extrema vn-  
 ctio, Ordo, Matrimonium.

Concil.  
 Florenz:  
 et Later-  
 Concil.  
 Florenz:  
 Cbstan-  
 et Trid.

*Quare Sacramenta ueneranda, & summo  
 in pretio habenda sunt?*

Primum quidem, quia à Deo &  
 Christo Domino in lege noua institu-  
 ta: deinde, quia gratiam DEI nobis  
 necessariam, eamq; yberriam non  
 modò significant, verùmetiam ceu  
 Vasa quædam sacra diuini spiritus cõ-  
 tinent, & ritè suscipientibus confe-  
 runt: adhæc, quoniam aduersus pec-  
 catum præsentissima sunt remedia,  
 seu diuina medicamenta nostri Sama-  
 ritani: postremò, quia bonis gratiam  
 habentibus, eam ipsam conseruant,  
 augent, amplificant.

Concil.  
 Florenz:  
 Luc: 10  
 Cur

INSTITVTIONES

Cur Sacramentis Cæremoniæ solennes &  
Ecclesiasticæ adhibentur?

Multis profecto & grauibus de  
causis: Primum, vt Sacramentorum  
administrationem spectantes admo-  
neantur nihil hic prophanum, sed arca-  
na quædam, & Diuinis plena miste-  
rijs geri, quæ singularem reuerentiã  
exigant: Deinde, vt ad Sacramenta  
ipsa accedentibus cultum promoueant  
interiorem, quem Deus præcipue pos-  
tulat, & cuius veluti signa, testimo-  
nia et exercitia sint Cæremoniæ. Præ-  
terea, vt Sacramenta ministrantes ma-  
iori cum dignitate & sancto munus suum  
obeant, dum veteris Ecclesiæ institus-  
tis, sanctorumque patrum vestigijs fide-  
liter inhærent. Constat etenim huius  
modi cæremonias plerasque inde à tẽ-  
poribus Apostolorum, per continuam  
successionem ad nos usque in Ecclesia  
perseuerasse. His demum retinetur  
honestæ religiosæque disciplina, his fo-  
uetur publica tranquillitas, quæ sæ-  
pè rituum externorum aut immuta-  
tione, aut innouatione grauiter in-  
terturbat. Quid



PIETATIS.

*Quid est Baptismus?*

Primum maximeq; necessarium legis nouę sacramentum, quod semel in aqua confertur, quo spiritualiter renascimur, et peccatorũ plena remissione pcepta, in filios Dei adoptamur, hæredesq; vitæ cœlestis adscribimur.

Iaco: 3.  
ad Ti: 3.  
Rom: 6  
Gal: 3.

*Quid est Confirmatio?*

Est baptizatis collatum ab Episcopo Sacramentũ, in quo per sanctũ Chrisma, & verba sacrosancta conferitur gratia, & robur spiritus additur, tum ad firmiter credendum, tum ad nomen Domini, quando sic est opus, liberè confitendum.

Act: 8.  
et 19.  
Concil.  
Florenz  
Aurelia  
Melde 1

*Quor sunt præcipua de Eucharistie doctrina  
Capitis scitu necessaria?*

Quinq; Primum est eius veritas: Alterum est panis et vinum in Christi corpus & sanguinem conuersio: Tertium, adoratio debita: Quartũ, eius oblatio: Quintum & postremum, eiusdem sacramenti sumptio.

*Quæ est veritas sacramenti Eucharistie?*

Nimirum hæc, Christum verum De Marci  
um ac hominẽ verè ac integrè in hoc  
Sacramento contineri, & nobis ad

Mat: 26  
14.  
Luc: 22



INSTITVTIONES

esse, vbi sacerdos ritè ordinatus panem & vinum verbis illis arcanis & à Christo traditis consecrarit.

¶ 11. *Quæ sit conuersio per uerba illa, quibus hoc Sacramentum sacerdos consecrat?*

Lex: Ea, vt per ipsa uerba operante Christo, panis & uinum in corpus & sanguinem Dominicum conuertantur, ac transubstantientur, atque ita panis & uinum esse desinant Eucharistia.

¶ 12. *Quæ Sacramento huic debetur oratio?*

Eadem sanè, quæ Christo domino ac ætherno Deo debetur, quippe quæ illi præsentem agnoscimus. Ideoq; religioso cum corporis, tum animi cultu, vt pat est, hoc Sacramentum supplices ueneramur.

¶ 13. *Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?*

Quia est legis nouæ Sacrificium & oblatio munda, cruentis legis Iudææ Sacrificijs inuenta succedens, quæ pro uiuis ac defunctis Christi fidelibus in missa offertur ac celebratur. Vnde fit, vt Eucharistia non solum à fidei populo summatur, sed etiam

PIETATIS.

etiam pro peccatis à Sacerdotibus ad Concil.  
 Dominicæ passionis ac mortis con- Nic. &  
 tinuam commemorationem quoti- Ephes  
 die immoletur, semperq; oblata fue- Mat 26  
 rit in Ecclesia Dei. Heb: 5.

*Quid in Sacramenti huius sumptione  
 seruandum?*

Quod fides & auctoritas sanctæ ma- Concil.  
 tris Ecclesiæ docet, videlicet, Christi- Cōstan.  
 ano laico sat esse, sub vna specie pa- & Basi.  
 nis totum Christum accipere; & ex Luc: 24  
 hac sumptione consequi, vt qui non Act: 2.  
 indignè accesserit, ingentem Dei & 10.  
 gratiam, ac æternam quoq; vitam ob- Chriſto  
 tineat, qui verus ac integer Sacra- stonus  
 menti huius fructus existit: eoq; fit in Mat:  
 efficacior, quo sæpiùs sacra & saluta- Theoph  
 tis illa communio dignè iteratur. Beda.

*Quid est penitentia?*

Est secunda post naufragium tabu- Ioa: 20  
 la, & necessarium relapsis Sacramen- Iaco: 5.  
 tum, in quo remissio peccatorum & Concil.  
 à reis petitur, & à sacerdotibus tri- Floren.  
 buitur.

*Quod sunt partes & actiones  
 penitentia?*

C

Tres,

## I N S T I T U T I O N E S

Psal: 50
Iacob: 5
Mat: 3.
 Tres: contritio, vel dolor animi  
 peccata sua detestantis, & ad vitam  
 meliorem adspirantis. Confessio seu  
 peccatorum suorum coram Sacerdo-  
 te facta explicatio: & satisfactio deni-  
 que, seu vindicta punitioq; criminū  
 de se ipso sumpta, ad præstandos fru-  
 ctus dignos pœnitentiæ.

### Quid est extrema Unctio?

Iacob 5.
Concil.
Florent.
 Est Sacramentum, quo ægroti per  
 oleum sacrum & Verba Christi in ma-  
 gnismorbi molestijs releuantur, vt fe-  
 licitè ex hoc mundo demigrent, &  
 corpora etiam, si ita expedit, sanita-  
 ti restituantur:

### Quid est Ordo?

Mat: 20
1. Ti: 3.
1. Ti: 3
Acto: 13
 Est Sacramentum, quo sacerdoti-  
 bus alijsq; ministris Ecclesiæ potestas  
 confertur ad Ecclesiastica munia ritè  
 decenterq; obeunda.

### Quid postremo est Matrimonium?

Gen: 2.
Mat: 19
1. co: 7
Eph: 5.
 Sacramentum, quo vir & mulier  
 legitime contrahentes, in diuiduam  
 vitæ societatem incunt, gratiaq; di-  
 uina donantur, tum vt soboles ho-  
 nestè

PIETATIS.

nestè & Christianè suscipiatur ac educetur: tum vt fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum euitetur.

*Estne inter Sacramenta discriminè?*

Est sanè: Baptismus enim, Confirmatio & Ordo semel collata, nunquam iterantur, sicut cætera. Item Baptismus necessariò suscipitur ab omnibus, Eucharistia à ratione vten- tibus, & à relapsis pœnitentia. Arbitrarium est autem vti reliquis, modo nullum contempnas, aut cum illud sumendi tempus est, negligas.

CAPVT QVINTVM.

DE OFFICIIS IUSTITIÆ  
CHRISTIANÆ.

*Quot sunt officia Iustitiæ Christianæ?*

**H**Æc duo, declina à malo siue peccato, & fac bonum siue officium Iustitiæ.

*Psalm: 36.  
1. Ios: 3  
Esa: 1.*

*Qui potest homo cauere peccatum, & bonum  
facere, seu prestare Iustitiam?*

Non id per se quidem, sed Christi gratia ac spiritu instructus Christianus.

*Ioan: 5.  
2. Cor: 3.*

# INSTITVTIONES

Luc: 1. *stianus potest ac debet, quantum hu-*  
 Rom: 8 *ius quidem vitæ status admittit, iuste*  
 Tit: 3. *viuere, & legem implere.*

*Quotuplex est peccatum?*

*Duplex, Originale, & Actuale.*

*Quid est Originale?*

Rom: 6  
 Acto: 2. *Quod ab ortu nobis congenitum,  
 per Baptismum in Christo condona-*  
*tur.*

*Quid est Actuale?*

*Dictum, factum vel concupitum  
 contra, vel præter legem Dei, aut Ec-*  
*clesiæ.*

*BCU Cluj* *Quotuplex Actuale?*

Ephe: 8  
 Iaco: 1.  
 Eze: 18  
*Duplex: Mortale, sic dictum, quia  
 mortem animæ præsentem adfert:  
 Anima enim quæ peccauerit, ipsa  
 morietur. Et Veniale, vt cui Venia fa-*  
*cile tribuitur, & sine quo ne iusti  
 quidem viuunt.*

Pro: 11  
 1. 104: 1 *Quibus gradibus ad peccatum deducimur?*

*His tribus: Suggestione, delectati-*  
*one, consensu, seu deliberata Volun-*  
*tate peccandi.*

*Qui sunt supremi gradus peccantium?*

*Eorum*



18

PIETATIS.

Eorum, qui scientes ac prudentes ex mera peccat malitia, qui etiam de peccato ipso gloriantur, & qui bene monentibus obstrepunt, ac salutaria consilia prorsus contemnunt.

*Quare peccatum fugiendum?*

Quia Dominum Deum offendit, summum bonum eripit, & summum Psal: 5.  
affert malum peccanti, dum diuinam Rom: 2  
tollit fruitionem nunquam recupe- Rom: 6  
randam, & poenas ærumnasq; homi-  
ni accersit sempiternas.

*Quæ dicuntur peccata capitalia?*

Illa, ex quibus, veluti capitibus, & fontibus omnia alia peccata proficiscuntur.

*Quot sunt peccata capitalia?*

Septem: Superbia, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Acedia.

*Quæ ratione vitari & uinci hæc peccata possunt?*

Si Iesu Christi gratia cooperemur, peccatorum damna & pericula con- I. Pet: 1  
siderantes, & virtutes septem his peccatis contrarias exercentes.



INSTITVTIONES

*Quæ virtutes peccatis Capitalibus  
aduersantur?*

Hæ septem: Humilitas, Largitas,  
Castitas, Benignitas, Temperantia,  
Pacientia, Deuotio seu sedula pie-  
tas.

*Quæ peccata in Spiritum Sanctum commit-  
ti dicuntur.*

Mat: 12

Ea quæ sua malitia sic diuinam ex-  
cludunt gratiam, vt neq; in hoc sæ-  
culo, nisi ægrè admodum, neq; in fu-  
turo remittantur.

*Quot sunt peccata in Spiritum sanctum?*

Sex: Præsumptio de misericordia  
Dei, vel de impunitate peccati, De-  
speratio, Agnitæ veritatis impugna-  
tio, Fraternæ charitatis inuidentia,  
Obstinatio, & impœnitentia.

*Quæ peccata in cælum clamare dicuntur?*

Gen: 18

Quæ per se vehementer abomi-  
nanda sunt, & apertè humanæ chari-  
tatis iura violant, vnde vindictam  
clamare perhibentur, & horrendis  
sæpè modis in hac vita diuinitus vin-  
dicantur.

*Quot sunt peccata in cælum clamantia?*

Hæc

PIETATIS.

Hæc quatuor, Homicidium volun- Gene: 9.  
tarium, peccatum Sodomiticum, op/ 18.  
prelsio pauperum, viduarum atq; pu/ Exo: 22  
pillorum: demùm merces operario- Iaco: 5.  
tum defraudata.

*Quæ peccata dicuntur aliena?*

Ea quæ ab alijs quidem committun- P[sa]: 18  
tur; sed nobis interim auctoribus,  
vel quoquo modo adiutoribus, aut  
saltem non impredientibus, vt idcir-  
co nobis etiam imputentur.

*Quod modis aliena peccata nobis im-  
putantur?*

Nouem his modis: Consilio, iussio-  
ne, consensu, irritatione, laudatione  
seu adulatione, reticentia culpæ ali-  
næ, conniuentia vel indulgentia rei  
alienæ participatione, & praua facti  
alieni defensione.

*Quæ dicuntur opera carnis?*

Ea, quæ homines secundum carné  
viuentes, & à Dei filijs spiritualibus  
degenerantes, committere solent,

*Quæ sunt opera carnis?*

Paulus ea recenset in hunc modum:  
Manifesta sunt opera carnis: quæ Gal: 5/

C 4 lunct

INSTITVTIONES

sunt: Fornicatio, Immunditia, Impudicitia, Luxuria, idolorum seruitus, ueneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, rixæ, dissentiones, secta, inuidia, homicidia, ebrietates, commensationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

*Estne satis Christiano, malum fugere, & à peccato declinare.*

*Psa: 36.* Nequaquam, sed præterea bonum  
*Esa: 1.* agere, & virtutes exercere necesse est.  
*Rom. 12.* Alioqui scienti bonum, & non facien-  
*Iacob 4* ti, peccatum est illi.

*Quid boni faciendum est Christiano?*

In genere quidem quicquid boni  
*1. co: 7.* lex naturalis, diuina vel humana præ-  
*Eph. 4.* cipit vel ostendit. In specie verò pro  
*2. Co: 6.* sua quisque vocatione præstare officium,  
*Col. 2.* & acceptæ Dei gratiæ cooperari cum gratiarum actione debet: omnis  
*Matth:* enim arbor, quæ non facit fructum  
*3. & 7.* bonum, excidetur & in ignem mittetur.

*Quæ sunt præcipua bonorum operum genera?*

PIETATIS.

Ea quibus sobriè, iustè, pieq; vini- ad Tit: 2  
 tur in hoc sæculo, & per quæ itidem 2. cor: 7  
 iusti magis magisque iustificantur, & Iacob: 2  
 sancti in dies sanctificantur. Apo: 21

*Quotuplicia sunt hæc operum  
 bonorum genera?*

Triplicia, utpote Ieiunium, Eleë- Mat: 6.  
 mosyna seu Misericordia, et Oratio, Tob: 12  
 de quibus ita legimus: Bona est ora-  
 tio cum ieiunio, & eleëmosyna.

*Quis est fructus bonorum operum?*

Habent ea promissionem ac mer- 1. tim: 4  
 cedem huius ac æternæ vitæ, Deum Mat: 23  
 placant, gratiam conseruant & au- Exo: 23  
 gent, deniq; Christiani hominis vo- Ioan: 3.  
 cationem certam faciunt atq; consu- 2. cor: 7.  
 mant. 2. Pet. 1

*Quid est ieiunium?*

Est certis diebus, iuxta morem & Concil.  
 præceptum Ecclesiæ, carnibus absti- Magnis  
 nere, & saltem vnica cibi refectione ca. 35.  
 in die contentum uiuere frugalius. ¶ Brat  
 Sed si generatim hoc nomen accipi- ca 2. cap  
 as, Ieiunium est corporis quædam ca- 9.  
 stigatio pië suscepta, ut vel caro spiri-

INSTITUTIONES

tui subijciatur, vel obedientia exercetur, Vel Dei gratia impetretur.

*Quid est Oratio?*

*Damas.* Est mentis in Deum eleuatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis alijsque petimus, vel Deo benedicimus.

*Quid est Eleēmosyna, seu misericordia?*

Est beneficium, quod alterius miseriae ex commiserationis affectu subuenimus.

*Quotuplex genus est Eleēmosina seu Misericordiae?*

Dupplex: alia quippe sunt opera misericordiae corporalia: alia Verò spiritualia: quoniam vel ad corporalem, vel ad spiritualem miseriam proximi subleuandam spectant.

*Quot sunt opera misericordiae corporalis?*

*Matt. 25*

*nide ca.*

*dist. 45.*

*86.*

*86.*

*86.*

*86.*

*86.*

*86.*

*86.*

*86.*

Septem, Esurientes pascere, potum dare sitientibus operite nudos, captiuos redimere, aegrotos inuisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire.

*Quot*



PIETATIS.

Quot sunt opera misericordie spiritualis?

Sunt & ipsa septem, vti peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari necessarios, ferre patienter iniurias, offensam remittere.

1 The. 5  
Iacob. 5  
1. thez. 5  
Rom. 15  
Matth. 6  
et 18.

Quae sunt virtutes omnium praeicipuae?

Post Theologicas quidem illas, de quibus dictum est, Fidem & Spem & Charitatem, praeicipuae sunt Cardinales, quae Christianos cum primis decent.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

Quae dicuntur Cardinales virtutes?

Quae tanquam fontes aliarum & cardines, omnes honestae vitae rationem continent.

Ambr.  
li. 1. off.  
August.  
de spiritu  
tu et anima.  
Sap. 8.  
Tit. 2.

Quot sunt virtutes Cardinales?

Quatuor: Prudentia, Iusticia, Temperantia, Fortitudo: quibus in Christo consequitur homo, Vt provide, iuste, temperate, ac fortiter in omni vita degat, ac placeat Deo.

Quae dicuntur dona Spiritus sancti?

Septem



INSTITVTIONES

*Esai. 11.*  
*1. Io. 2.* Septem illa, quæ super Christum  
 requieuisse Propheta testatur, & quæ  
 ab ipso, ceu fonte omnis gratiæ, in alios  
 deriuantur: Vt donum sapien-  
 tiæ, donum intellectus, consilij, scienti-  
 tiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris  
 Domini.

*Quæ nam illa, quæ fructus spiritus  
 vocantur?*

*Rom: 8.* Ea, quæ pii secundum spiritum vi-  
 uentes operantur, & per quæ spiritu-  
 ales à carnalibus dignoscuntur.

*Qui sunt fructus spiritus.*

*Gala. 5.* A Paulo Apostolo sic numerantur:  
 Charitas, gaudium, pax, patientia, long-  
 animitas, bonitas, mansuetudo, fi-  
 des, modestia, continentia, castitas.

*Quæ dicuntur beatitudines  
 Evangelicæ?*

Illæ propter quas in Euangelio eti-  
 am hi qui miseri prorsus ac infelices  
 videntur, beati ac felices pronuntian-  
 tur.

*Quot sunt Evangelicæ beatitu-  
 dines?*

PIETATIS.

Octo, quas ita Christus in monte Mat: 5.  
tradidit: Lu: 6.

- Beati pauperes spiritu, quoniam I.  
ipsorum est regnum cœlorum.
- Beati mites, quoniam ipsi posside- II.  
bunt terram.
- Beati qui lugent, quoniam ipsi con- III.  
solabuntur.
- Beati qui esuriunt & sitiunt iusti- IIII.  
tiam, quoniam ipsi saturabuntur.
- Beati misericordes, quoniam ipsi V.  
misericordiam consequentur.
- Beati mundo corde, quoniam ipsi VI.  
Deum videbunt.
- Beati pacifici, quoniam filij Dei VII.  
vocabuntur.
- Beati qui persecutionem patiun- VIII.  
tur propter iustitiam, quoniam, ip-  
sorum est regnum cœlorum.

*Quæ dicuntur Evangelica consilia*

Videlicet, quæ per Euangelium  
non tanquam ad salutem necessaria,  
sed veluti suscipientibus magis expe-  
dita atq; utilia à Christo non præcipi-  
ente quidem, sed consulente propo-  
nuntur.

Quot

## TESTIMONIA

*Quot sunt Evangelica consilia?*

Principalia tria sunt, nimirum,  
Mat. 19 Paupertas voluntaria. Castitas perpetua,  
Act. 4. tua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur.

*Quæ hominis nouissima dicuntur?*

Ea, quæ homini ad extremum accidunt, vt Mors, Iudicium, Infernus, & Cœlestis gloria, de quibus ita docet Sapiens: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

FINIS.

**T E S T I M O N I A**  
**S C R I P T V R A E**  
**S A C R A E , C O N T R A H A E T I C O S**  
in promptu semper habenda.

Deu. 17 **S**i difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium

iudicium intra portas tuas uideris uerba uariari,  
 surge & ascende ad locum, quem elegerit Domi-  
 nus Deus tuus: ueniesq; ad sacerdotes Leuitici ge-  
 neris & ad iudicem qui fuerit illo tempore: qua-  
 resq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij ueritatem, &  
 facies quodcumq; dixerint, qui praesunt loco, quem  
 elegerit dominus, & docuerint te iuxta legem eius,  
 sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dex-  
 teram, neq; ad sinistram.

Qui superbiuerit, nolens obidire sacerdotis im- **Ibidem.**  
 perio, qui eo te a pore ministrat Domino Deo tuo:  
 ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes  
 eum de Israhel: cunctus populus audiens timebit  
 ut nullus deinceps intumescat superbia.

Deu: 3.

Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi:  
 maiores tuos, & dicent tibi.

Hie. 6.

Hae dicit Dominus: stete super uias & uidete,  
 & interrogate de semitis antiquis, quae sit uia bona,  
 & ambulat in ea: & inuuletis refrigerium animo-  
 rum uestris.

Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & **Malai x**  
 legem requirunt ex ore eius, quia angelus Domini  
 exercituum est.

Audi

TESTIMONIA.

Pro: 1. Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tue, ut addatur gratia capiti tuo, & terques collo tuo.

Pro: 6. Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tue, liga eam in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo.

Pro: 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.

Ecd: 8. Non te prætereant narratio seniorum. Ipsi enim didicerunt à patribus suis. Ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.

Mat 24. Videte ne quis uos seducat: surgent enim multi Pseudoprophete, & seduent multos. Tunc si quis uobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut ecce illic, nolite credere: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseverauerit usq; in finem, hic saluus erit. Si ergo dixerint uobis: Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere.

Luc: 10. Qui uos audit, me audit: qui uos spernit me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Mat: 23. Omnia ergo quaecunq; dixerint uobis, seruate & facite: secundum opera uero illorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.

Mat. 16. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam, & porta inferi



inferi non praevalent aduersus eam. Et tibi dabo  
 claves regni caelorum, & quodcumque ligaueris  
 super terram, erit ligatum & in caelis: Et quodcumque  
 solueris super terram, erit solutum & in caelis.

Simon, Ecce Sathanas expetiuit uos, ut cri- Luc: 22  
 braret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut  
 non deficiat fides tua.

Simon Ioannis diligis me? pasce agnos meos, pa- Ioa: 21,  
 sce oues meas.

Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque  
 ad consummationem saeculi.

Ego rogabo patrem, & alium paraclitum da- Mat 28  
 bit uobis, ut maneat uobiscum in aeternum, spiritum  
 ueritatis, quem mundus non potest accipere: quia  
 non uidet eum, nec scit eum. Vos autem cognosce-  
 tis eum.

Non relinquam uos orphanos, ueniam ad uos.  
 Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet pater  
 in nomine meo, ille uos docebit omnia, & sug-  
 geret uobis omnia, quaecumque dixero uobis.

Adhuc multa habeo uobis dicere, sed non pote- Ioa: 16  
 ris portare modo. Cum autem uenerit ille Spiritus  
 ueritatis, docebit uos omnem ueritatem.

Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis qui Ioa: 17  
 credituri sunt per uerbum eorum in me: ut omnes  
 unum sint, sicut tu pater in me, & ego in te, ut & ipse  
 in nobis unum sint.

D

Si autem



TESTIMONIA

Mat 18 Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.

I. Pet: 2  
& 3. Fuerunt uero & pseudoprophete in populo, sicut & in uobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & multi sequentur eorum luxurias, per quos uia ueritatis blasphemabitur: qui in errore conuersantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis.

Ibidem. Hoc primum scientes, quod ueniunt in nouissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes.

I. Ioh: 1. Hoc est mandatum, ut quem admodum audieritis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi Deum non habet.

Ibidem. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis.

2. Tim 4. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus.

Rogo autem uos fratres, ut obseruetis eos qui dissensiones & offendicula prater doctrinam, quam uos didicistis, faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo uentri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

## SCRIPTURAE.

Denuntiamus autem uobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis uos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à uobis. 2. the. 2

Itaq; fratres stete, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per Epistolâ nostrâ. 2. the. 3

Oportet hereses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in uobis. I. COR. IX

Hereticum hominem post unam & secundam correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus. Tit. 3

Si quis uidetur contenciosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei. I. COR. IX

Hæc tibi scribo, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei uiui, columna & firmamentum ueritatis. I. Ti. 3

Doctrinis uarijs & peregrinis nolite abduci. Obedite præpositis uestris, & subiacete eis. Heb: 13

O Timothee, depositum custodi, deuitans prophanas uocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam profitentes, circa fidem exciderunt. I. Ti. 6

Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo qui nos uocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium, quod non est aliud, sine sunt aliqui qui, uos

## SENTENTIAE

conturbant, & uolunt conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de Cælo Euangelizet uobis præterquam quod Euangelizauimus uobis, anathema sit.

**Iudas A.** Vos autem charissimi, memores estote uerborum apostolorum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant uobis: quoniam in nouissimis temporibus uenient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus: Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes: Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam.

**B. Augustini sententiæ tres notatu dignissimæ.**

**I.**  
**Lib. de fide ad Petrum**  
**F**irmissime tene, & nullatenus dubites, non solum omnes Paganos, sed etiam Iudeos, hereticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt uitam, in ignem æternum inuros, qui paratus est diabolo & angelis eius.

**II.**  
 Firmissime tene, & nullatenus dubites, quemlibet hereticum siue schismaticum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizatum, si Ecclesie Catholicæ